

VERGIL'S AENEID (IV. 663-705): THE DEATH OF DIDO

663 Dixerat; atque illam media inter tālia ferrö
664 conläpsam aspiciunt comitēs, ēensemque cruōre
665 spūmantem, sparsäsque manüs. It clāmor ad alta
666 ätria; concussam bacchätur Fama per urbem.
667 Lämentīs gemitüque et fēmineö ululätü
668 tēcta fremunt; resonat magniö plangöribus aethér,
669 nön aliter, quam sī immissiö ruat hostibus omnis
670 Karthägö aut antäqua Tyros, flammaeque furentēs
671 culmina perque hominum volvantur perque deörum.
672 Audiit exanimis, trepidöque exterrita cursü
673 unguibus öra soror foedäns et pectora pugniö
674 per mediös ruit, ac morientem nömine clämat:
675 'Hoc illud, germäna, fuit? Mē fraude petëbäs?
676 Hoc rogus iste mihi, hoc ignës äraeque paräbant?
677 Quid prīmum dëserta querar? Comitemne sorörem
678 sprëvistī moriëns? Eadem mē ad fäta vocässës:
679 idem ambäs ferrö dolor, atque eadem höra tulisset.
680 His etiam strüxi manibus, patriösque vocävi
681 vöce deös, sīc tē ut positä, crüdëlis, abessem?
682 Exstinxī tē mēque, soror, populumque patrësque
683 Sïdoniös urbemque tuam. Date vulnera lymphiö
684 abluam, et, extrëmus sī quis super hälitus errat,

685 öre legam.' Sic fäta, gradüs eväserat altös,
686 sëmianimemque sinü germänam amplexa fovëbat
687 cum gemitü, atque ätrös siccäbat veste cruörës.
688 Illa, gravis oculös cönäta attollere, rürsus
689 dëficit; ïnfixum stridit sub pectore vulnus.
690 Ter sësë attollëns cubitöque adnixa levävit;
691 ter revoluta torö est, oculisque errantibus altö
692 quaesivit caelö lücem, ingemuitque repertä.

693 Tum Iünö omnipotëns, longum miseräta dolorem
694 difficilisque obitus, Írim dëmisit Olympö,
695 quae luctantem animam nexösque resolveret artüs.
696 Nam quia nec fätö, meritä nec morte peribat,
697 sed misera ante diem, subitöque accënsa furöre,
698 nöndum illi flävum Pröserpina vertice crinem
699 abstulerat, Stygiöque caput damnäverat Orcö.
700 Ergö Íris croceis per caelum röscida pennis,
701 mille trahëns variös adversö söle colörës,
702 dëvolat, et suprä caput adstitit: "Hunc ego Diti
703 sacrum iussa ferö, tëque istö corpore solvö."
704 Sic ait, et dexträ crinem secat: omnis et ünä
705 diläpsus calor, atque in ventös viita recessit.